

Fl. 270

A) Remchingen Jr.

Tab A 2) - 44)

nicht vorfindbar  
nach RK

20  
Tho. Franz i. J. U. D. & in Academia VVitebergensi Professoris publici.

DISPUTATIONIS  
IURIDICAE  
PRIMAE,

De iusticia & jure,  
PARS PRIOR.

Quam  
D. O. M. A.

Respondente  
M. LEONHARDO KOPPELIO  
NORIBERGENSESI a. d. 5. Septemb. habebit in Schola Iurisconsultorum  
hora XII.



VVITEBERGÆ  
Typis Zachariæ Lehmanni.  
ANNO M. D. XCIII.

*Lehmann*

*Magnifico & excellenti viro,*  
DN. GEORGIO HAR-  
tero I. U. Licentiato clariss.  
&  
Totius Palatinatus superioris  
libellorum supplicum Magistro,

*Mecenati suo perpetua animi submissi-  
one venerando.*

Hanc Disputationem amoris ergo  
nuncupat respon-  
dens, etc.









*[Faint, illegible text on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and is difficult to decipher due to fading and the texture of the paper.]*





# DE IUSTICIA ET

*I u R E.*

## *Disputatio prior.*

Thesis I.



us est ars boni & æqui: quod causa probat & effectus.

I I.

Causa & ut sit facit, & ut existat. Sit quidem harmonia materiæ & formæ : Existat objecti vi, & subjecti virtute.

I I I.

Materia est ars: quia est genus. Genus esse probo: Prior enim est ars, quàm ars boni & æqui, sive ipsum materiatum, jus nempe. Generalius est etiam vocabulum artis, quàm juris: quippe quod ars sit, etiamsi jus sive ars boni & æqui non sit. Deniq; ars sine jure potest esse: ius verò hoc, sine arte esse non potest.

### *Antithesis I.*

Non ergo est scientia, cum hæc sit habitus intellectus, & in cognitione veri, quoad sui tantum animi perfectionem, sit occupata: illa verò est ex voluntate, & circa bonum, non sibi tantum, sed alijs potissimum, versatur.

I I.

Neq; prudentia, illa enim consistit in singularibus, ars verò in universali: Illius actio est immanens, hujus transiens. Illa propter se agit, hæc propter se & propter alium.

A 2

Multò

III.

Multò minus jurisprudentia: eum hæc sit illius causa.

unde Πορισματα.

I.

Artis vocabulum esse πολυσημιον: neq; hic pro habitu factivo, nq; pro qualibet mentis actione, sed pro collectione praeceptorum sumi per metonymiam nempe effecti.

II.

Ergò & juris vocabulum equivocum erit, Ideoq; per Metonymiam causa effectum: Effecti, causam: Subjecti, adjunctum: Adjuncti, subiectum sæpè designat.

III.

Non rarò metaphoricè, quod juri simile est: Sæpenumerò per Ironiam, quod juri dissentaneum est, juris nomine dignamur.

IV.

Quin imò per Synecdochen multoties ex parte juris, totum; & ex toto partem; ex genere speciem, & ex specie genus intellegimus.

V.

Rectè ergò Paul. & Marcian. scribunt: Ius pluribus modis dicitur. Vno modo, cum id, quod semper æquum & bonum est, jus dicitur: ut est jus naturale. Altero modo, quod omnibus, aut pluribus, in quaq; civitate utile est: ut est jus civile. Nec minus jus rectè appellatur in civitate nostra jus honorarium. Prætor quoq; jus reddere dicitur, etiam cum iniq; decernit: relatione scilicet facta, non ad id, quod ita Prætor fecit, sed ad illud, quod Prætozem facere convenit. Alia significatione jus dicitur locus, in quo jus redditur: appellatione collata ab eo, quod sit, in eo, ubi sit. Quem locum determinare hoc modo possumus: ubicunq; Prætor salva majestate imperij sui, salvoq; more majorum, jus dicere constituit: is locus rectè ius appellatur. Non unquam jus etiam pro necessitudine dicimus, veluti: est mihi jus cognationis, vel affinitatis.

Præ-

## IV.

Præcepta ergò boni & æqui materiam dant  
huic arti. Ea vel catholica sunt & absoluta: vel sin-  
gularia & relativa. Catholica sunt hæc: honestè  
vivere, neminem lædere, suum cuiq; tribuere.

## V.

Et hæc meritò dicuntur absoluta præcepta  
juris: Sunt enim quasi materia, ex qua omne id,  
quod arti huic subiectum est, extruitur: & catho-  
tholica: Quia in omni iure reperiuntur.

## VI.

Singularia huius artis præcepta vel naturæ sunt:  
vel rationis. Naturæ præcepta à natura ad natu-  
ram sunt directa, & consistunt in nudo assensu.  
Hæc Ic. & Imp. ius naturæ vocant: ubi iuris vo-  
cabulum in propria sua significatione iussum na-  
turæ significant, non artificium aliquod ex hisce  
iussionibus extractum.

## VII

Definitur ius naturæ ab Vlpiano Ic. & Iustin.  
Imp: jus, quod natura omnia animalia docuit. E-  
quidem rectè: Iuris enim vocula, quando repeti-  
tur: (ut repeti debet, ne definitio sit absq; certo ge-  
nere) & in propria sua significatione usurpatur,  
præceptum significat. Præceptorem ergò ex na-  
tura correlativorum adesse simul, aut adfuisse (est  
enim actio transiens, cui ut causa efficiens sem-  
per adsit, necesse non est) oportuit: utiq; ergò &

A 3

discipu-

discipulum: fit enim mentio doctrinæ. Præceptor quidem Deus est, et quæ eius vices ordinariò sustinet, natura. Omnia verò secundum naturam agentia, discipulus. Ius ergo naturæ, quatenus inest, ad subjectum agens relatum, doctrina erit, ad subjectum patiens, disciplina. Quatenus verò est, præceptum, quod natura docuit omnia animalia. Docet autem Deus sive natura (sumus enim hac in parte Stoici) animalia duo: ut sint, et postquam sunt, ut benè sint. Sint quidem per unionem materiæ et formæ: Benè sint per conservationem: Conservatio autem est duplex, individui una, speciei altera: Individua conservantur per nutritionem, species per generationem: quemadmodum hoc physicorum in scholæ docent exactiùs.

### *Antithesis.*

I.

Naturæ vocabulum hîc in ablativo casu sine ratione legi.

II.

Ius naturæ unicum esse, neque primi aut secundi ævi ratione, sine ingenti sacrarum literarum depravatione distingui posse: Bonitate enim hominis sublata, non est sublatus cursus naturæ.

*ἐπιπέτρα.*

I.

*Rectè ergò & sanctissimè scribitur: Ius istud non humani generis proprium esse, sed omnium animalium quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, aviùm quoq; commune.*

EX

II.

Ex hoc jure descendere maris & femine conjunctionem quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio: Videmus enim cetera quoque animalia, feras etiam, istius juris peritia censei.

III.

Hac naturæ præcepta homini imperare, quatenus est animal & agit naturaliter. Hanc verò naturalem in homine actionem, idcirco irrationalem esse constantissimè negamus; cum ridiculum sit in anima hominis rationali constituere τὸ ἀλογον τι.

IV.

Non valet ergò ratio; hæc præcepta juris nomine non contineri, quod in bruta non cadat iniuria. Ob id enim tantò magis jus sunt, quia semper equa & bona sunt, neque ad injuriam tertij unquam recedunt.

VIII.

Rationis præcepta à ratione sive anima humana ad hominem referuntur, et in obedientia voluntatis consistunt. Suntque duplicia: communia et propria: Communia, bonum hominis respiciunt: Propria, bonum civis. Bonum hominis in unione consistit, quæ duplex est: vel hominum inter se: vel hominum creaturarum cum Deo creatore: & hæc hominis perfectio cœlestis: illa perfectio terrena est. De utroque igitur bono humano, præcepta rationis communia tractant: & vocantur uno nomine, jus gentium.

IX.

Hoc definit Imp. post Ic. Vlp. jus quo omnes gentes, sive gentes humanæ utuntur.

Quæ

X.

Quin & ius naturale nominatur tam quia id naturalis ratio inter omnes homines constituit, quam quod apud omnes per æquè custodiatur.

*Antithesis.*

I.

Hoc jus naturæ secundarium non esse, neque rationationis nuncupari rectè posse.

Hinc ἐπομυρα.

I.

Recedere ius gentium à naturali idèò, quod illud omnibus animalibus, hoc sòlis hominibus inter se, & ita humano generi commune sit. Imperat ergò hoc ius homini, ut est homo, & ut λογικῶς agit, non verò ut naturaliter.

II.

Ius gentium hominis perfectionem promovere, caelestem quidem, uniens hominem cum Deo, Hinc erga Deum religio; Terrestrem verò quando unit hominem cum homine, quod per amorem fit & fidem.

III.

Amoris enim & fidei est, ut parentibus & patriæ pareamus, ut vim atq; injuriam propulsemus: nam jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Et cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.

IV.

Manumissiones quoq; juris gentium sunt, utpote cum jure naturali omnes homines liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita; sed posteaquam jure gentium servitus invasit, secutum est beneficium manumissionis: Et cum uno naturali nomine homines appellaremur, jure gentium tria genera esse

esse cœperunt, liberi, & his contrarium servi, & tertium genus  
liberti, id est, hi qui deserant esse servi.

V.

Est enim amor affectus unionis: Servans igitur & fide con-  
servans quiescit, à contrarijs movetur & interimitur. Hinc rectè  
scribitur ex hoc jure gentium introducta sive orta bella, captivi-  
tates secutas & servitutes juri naturali contrarias, discretas gen-  
tes, regna condita: dominia distincta, agris terminos positos; edifi-  
cia collocata: commercium, omnes penè contractus, emtiones, ven-  
ditiones, locationes, conductiones, depositum, mutuum, & alias in-  
numerabiles obligationes institutas: exceptis quibusdam, quæ à  
jure civili introductæ sunt. Idq; usu & humanis necessitatibus  
exigentibus.

VI.

Hæc jura, eque ut jura natura, divina quâdam providentia  
constituta, semper firma atq; immutabilia sunt.

VII.

Vnde regule: I. Quod naturaliter inest, in dubio semper  
inesse præsumitur.

2. Actus naturalis accidentali præfertur.

3. Frustrà legem querimus ubi naturaliter sentimus: quærere  
enim legem ubi naturaliter ratio suadet, est debilitas intellectus.

4. Ars imitatur naturam.

XI.

Propriæ rationis præcepta sunt quæ ad bona  
civilia referuntur. Omnes enim populi, qui ll. &  
moribus reguntur partim suo proprio, partim  
communi hominum iure utuntur: Quod ergo  
quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius  
civitatis proprium est, vocaturque ius civile, quasi  
ius proprium ipsius civitatis.

B

Hoc

## XII.

Hoc, neque in totum à naturali vel gentium jure recedit, nec per omnia ei servit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficitur.

## XIII.

Quod ipsum ius sæpè mutari solet, vel tacito populi consensu, vel alia postea lege nata.

## XIV.

Ius civile ergo perfectius est gentium & naturæ iuræ: Quamvis enim hoc naturalia corporis, illud super naturalia animi bona conetur restituere & conservare: tamen quia id aut particula fit, aut sine cognitione divini ordinis, multarum confusionum, errorum, peccatorum, tam quæ à natura, quam quæ ab homine fiunt inde defenduntur occasiones: Quibus omnibus civile ius rerum omnium noticia, veri intellectu & scientia succurrit, prudentia singula moderans, arte universa corrigens, supplendo ea, quæ naturæ desunt imperio, rationem vero vagam coarctando ordinis restitutione.

τὰ ἐπομένα.

## I.

*Hinc rectè Papinianus scribit: lex est commune præceptum virorum prudentum consultum, delictorum quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis Reipub. sponsio. Et Demosthenes: Lex est, cui omnes obtemperare convenit: tum ob alia multa: tum vel maxime eò, quod omnis lex inventum ac munus Dei est:*



*est: Decretum verò prudentum hominum: còercitio eorum, quæ spontè vel ignorantia delinquuntur; communis sponsio civitatis, ad cuius præscriptum omnes, qui in ea Repub. sunt, vitam instituere debent. Et Chrysippus: Lex est omnium divinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem eam esse præsidem & bonis & malis, & principem & ducem esse: Et secundum hoc regulam iustorum & iniustorum: & eorum, quæ naturâ civilia sunt, animantium, præceptricem quidem faciendorum, prohibtricem autem non faciendorum.*

II.

*Rectè etiam Modestinus scripsit legis virtutum hanc esse, imperare, vetare, permittere, punire.*

III.

*Et rectissimè ponitur, jus civile solum ex ratiocinatione proficisci.*

XV.

Porro jus civile aut Romanum est: aut non Romanum. Romanum est quod à Romanis constitutum, Romæ observatum fuit. Estq; vel cum sanctione, vel sine sanctione. Cum sanctione aut est universale: aut singulare. Universale in Democratia vocatur lex: In Aristocratia, Senatusconsultum: In Monarchia, constitutio Principis.

XVI.

Hinc illæ definitiones, Lex est præceptum sive jus, quod populus Romanus Senatorio magistratu interrogante (veluti consule) constituebat.

XVII.

Senatusconsultum est, quod Senatus jubet & constituit. Non ambigitur enim in Aristocratia Senatum jus facere posse. Sed

XVIII.

Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem, cum lege regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concesserit.

XIX.

Quodcunq; ergo Imp. per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. Hæ sunt quæ constitutiones appellantur.

ΕΠΙΣΤΟΛΕΥΟΝ.

I.

*In Monarchia omnia juris specialia nomina constitutionum nomine consolidari.*

II.

*Populum, Senatum, Principem legibus solum esse; ut discrimen inter Imperantem & obsequentem possit animadverti. Sibi enim imperare nemo potest.*

III.

*Augustam hac eadem majestate frui.*

IV.

*Inter æquitatem jusq; interpositam interpretationem, in Monarchia Imp. soli licet inspicere.*

XX.

Singulare jus est, quo d singulariter constitutum: vel quo ad dicentem: vel quo ad recipientem. Jus dicens est aut ordinarius: aut extraordinarius. Ordinarius est aut in urbe: aut extra urbem. Qui in urbe sunt, vocantur Magistratus nomine communi: Qui extra urbem sunt, potestates.

res. Vnde edicta Magistratum ordinaria, vel urbana, vel provincialia, nomen suum sortita sunt. Propriè verò à Prætore, edicta Prætorum: ab Aedilibus edicta Aedilium derivantur. Quæ omnia præcepta: cum his, quæ à curatoribus extra ordinem dicta sunt, jus honorarium appellantur.

ἔπομυνα.

I.

*Prætorum edicta non modicam obtinere juris auctoritatem. Et hoc jus honorarium appellari, quod qui honores gerunt, id est, Magistratus, auctoritatem huic juri præbuerint.*

II.

*Proposuisse & Aediles Curules edictum de quibusdam causis; quod & ipsum juris honorarij portio est.*

XXI.

Sed & his qui Magistratum aut curam Reipub. non habent, legem ferre, jus dicere, aut jura condere permissum est. Legis quidem ferendæ potestas aliquando plebi permissa est, unde plebiscita: jurisdictionis potestas Magistratibus Municipalibus, unde jura municipalia sive statuta: condere verò jus jurisprudentibus, unde prudentium responsa.

*Hinc illa porismata.*

I.

*Plebiscitum est, quod plebs plebeio Magistratu interrogante (veluti tribuno) constituebat. Plebs autem à populo eò differt, quò species à genere: nam appellatione populi, universi cives significantur, connumeratis etiam Patricijs & Senatoribus: Plebis au-*

B 3 tem

rem appellatione sine Patricijs & Senatoribus cateri cives significatur. Sed & plebiscita lege Hortensia lata, non minus valere, quam leges coeperunt.

II.

Responsa prudentum sunt sententiae & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. Nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui jura publice interpretarentur: quibus à Caesare jus respondendi datum est, qui Jurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiae & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere à responso eorum, non liceret.

III.

Ea quae magis imperij sunt, quam jurisdictionis, magistratus municipales facere non possunt.

XXII.

Quo ad accipientem jus singulare est: quod personae vel ob meritum indultum, vel poenae loco irrogatum, vel sine exemplo, datum est. Hinc personale dicitur: quia ad exemplum non trahitur. Ex hoc igitur jure singulari privilegia orta sunt, & beneficia.

ἐπιπέρα.

I.

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias: cum in his, quae contra rationem juris constituta sunt, regulam juris sequi non possimus. Nam jus singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium, introductum est.

XXIII.

Ius sine sanctione, consuetudo sive mos vocatur, & definitur ab Imp. Ius quod usus sine scripto appro-

approbavit: nam diuturni mores, consensu utenti-  
um comprobati, legem imitantur.

ἐπιμένειν

I.

Hinc scribitur: De quibus causis scriptis legibus non utimur,  
id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est.  
Et si qua in re hoc defecerit: tunc quod proximum & conse-  
quens ei est. Si nec id quidem appareat: tunc jus, quo urbs Roma  
utitur, servari oportet. In veterata consuetudo pro lege non imme-  
rito custoditur: & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum.  
Nam cum ipse leges nulla alia causa nos teneant, quam quod iudic-  
io populi recepta sint: merito & ea, quae sine ullo scripto populus  
probavit, tenebant omnes. Nam quid interest, suffragione populus  
voluntatem suam declaravit, an rebus ipsis & factis: quare rectis-  
sime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legisla-  
toris, sed & tacito consensu omnium, per desuetudinem abrogentur.

II.

Item diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quae non ex  
scripto descendunt, observari solet.

III.

Cum de consuetudine civitatis vel provinciae considerare quis  
videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam  
contradicto aliquando iudicio, consuetudo firmata sit.

IV.

Sed ea, quae longa consuetudine probata sunt, ac per annos plu-  
rimos observata, velut tacita civium conventio, non minus quam  
ea quae scripta sunt iura, servantur. Imò magnae autoritatis hoc jus  
habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scri-  
pto id comprehendere.

V.

Si de interpretatione legis queratur: in primis inspiciendum est,  
quo jure civitas retro & eiusmodi casibus usa fuisset. Optima enim  
est

est legum interpretis, consuetudo. Nam Imp. Severus rescripsit: in  
ambiguitatibus, quæ ex legibus profiscuntur, consuetudinem aut  
rerum perpetuò similiter judicatarum auctoritatem, vim legis ob-  
tinere debere.

V I.

Quod tamen non ratione introductum, sed errore primùm, de-  
inde consuetudine obtentum est, in alijs similibus non obtinet.

V I I.

Et rescribitur: Præses provincie probatis his, quæ in oppido  
frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causa  
cognita, statuet. Nam & consuetudo præcedens, & ratio quæ con-  
suetudinem suavit, custodienda est. Et ne quid contra longam con-  
suetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit Præses provin-  
cie.

V I I I.

Consuetudinis ususq; longævi non vilis auctoritas est, verùm  
non usq; adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut  
legem.

V I X.

Leges quoq; ipsas antiquitus probata & servata tenaciter con-  
suetudo imitatur & retinet: & quod officijs, curijs, civitatibus,  
principijs vel collegijs præstitum fuisse cognoscitur, perpetua legis  
vicem statuimus.


X X I V.

Ius non Romanum est, quod ab alijs quàm à  
Romanis constitutum, alibi quàm Romæ obser-  
vatur. Tale fuit temporibus L L. 12. tab. jus  
Spartanorum & Atheniensium: tempo-  
ribus verò nostris Divinum, Pontifi-  
cum canones, & Imperij  
sanctiones.









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



20

*in Academia VVi-*  
*fessoris publici.*

ATIONIS

DICAE

MAE,

*jure,*

PRIOR.

m

M. A.

dente

O KOPPELIO

a. d. 5. Septemb. has

risconsultorum

XII.



ERGÆ

æ Lehmanni.

D. XCIII.

*Lehman*

